

vitatem constituit et homines insimul habitare fecit, in qua etiam oraculum edificavit, inde Neptunia menia appellavit. que postmodum a Trovilo, eius nepote, Troia appellata fuit, que paulatim crescens ad immensam magnitudinem devenit. deinde relique silvestres gentes ab eis exemplum accipientes in unum convenerunt et sic civitates 5 et castella fecerunt. post multum vero tempus divicias superbiasque facientibus, postea bellis nascentibus, Memorion, ab obsidione<sup>(a)</sup> Athenorum rediens Troiamque perveniens, Casandram, Priami sororem, subripuit secumque portavit, de qua postea filios genuit. Pria-  
 mus sibi Ecubam matrimonio copulavit, de qua Hectorem, Trovilum, 10 Paridem et alios liberos habuit. que, cum gravida esset et nondum puerum peperisset, sompnivit se quandam facem concepisse, cuius igne totam civitatem videbat ardere. que retulit Priamo. ille autem precepit, ut stultorum est consuetudo virorum, quicquid ha-  
 bent<sup>(b)</sup> in corde, patefacere mulieri, quidquid ipsa pareret, sibi festi-  
 nanter aduci, quia volebat, eciam si lapis esset, terere ventoque proi-  
 cere. tempore pariendi expleto, Ecuba, ut mos<sup>(c)</sup> est matrum plus  
 se diligere filium, peperit et vocavit Paridem ipsum et occulte suo  
 vacario in nemore iussit ad nutriendum dari et iacintum pulche-  
 rimum manutergio involutum presentari fecit Priamo. quem ut 20  
 vidisset ventoque sufflavit. bovarius autem predictus custos delicate  
 nutrit puerum, ut debebat, suum dominum, qui, ut crevit, secum ad  
 armentum portavit, eique totum armentum<sup>(d)</sup> gregemque commisit.  
 grege vero illo custodiente, duodecim latrones insultum fecerunt  
 ac vitulos necare ceperunt, in quos irruit eosque prostravit et 25  
 spolia eorum presentavit. inde ille gaudens securus eiusque gregem commisit. parvo post transacto tempore, cum<sup>(e)</sup> quidam vicini  
 sui gregis taurus suo cucurisset in prelium et accidisset ut suum  
 vicisset vicinum, ille nempe recte diiudicans florum coronam victoriis imposuit cornibus. victus improperium taurus in longinquis 30  
 recessit et, maioribus arboribus, quas movere nequibat, innixus,  
 circa ipsas tam diu pavit, quam usque eas cornibus movere potuit: deinde ad gregem rediit et de victore victoriam habuit.  
 moxque Paris de suo capite diadema<sup>(f)</sup> abstulit et illius fronti con-

(a) *S* obsidiae    (b) *D* habere    (c) *D S* mox    (d) *D S* ornamentum    (e) *D om.*  
 cum    (f) *S* diademam